



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 15. Quodnam set verbu[m] illud Græcum quo vsos esse Athenienses
in discordiis sedandis ait Cicero in Philippicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

mora proficeretur, nescientes, imperatorem suum, tanquam ignaum, & vt Horatius loquitur, inaudacem, summa verborum immoderatione increparent: iamque sublato clamore, iniussu ipsius rem gerendam esse vociferarentur: graui oratione furentem illorum impetum repressurus Scaevola, ita exorditur, vt dicat, nunquam sibi Romanos in tanto discrimine summam rerum tradituros fuisse, si se talibus clamoribus turbatum iri credidissent:

*Feruida si nobis corda, abruptumq; putassent
Ingenium patres, & si clamoribus, inquit,
Turbari facilem mentem: non vltima verum,
Et deplorati mandassent Martis habenas.*

Cicero quoque in ea oratione qua C. Rabirium perduellionis reum protexit & eripuit, cum quiddam paulo confidentius dixisset, clamor que concionalis secutus esset: *Nihil me, inquit, clamor iste commouet, sed consolatur: cum indicat, esse quosdam viros imperitos, sed non multos. Nunquam, mihi credite, populus R. hic, hic qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum mi arbitraretur.*

Quodnam sit verbum illud Graecum quo vsos esse Athenienses in discordiis sedandis ait Cicero in Philippicis.

• CAPVT XV.

VERBUM Graecum, quo in sedandis discordiis ait Cicero usam esse Atheniensium ciuitatem, non est, vt opinor, ἀμυσία: quanquam ab omnibus qui eum locum attigerunt, ita esse traditum scio. neque me mouet, quod Plutarchus ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀγγελλομασ scitum illud vocat τὴν ἀμυσίαν ψήφισμα: quodque alij scriptores Latini idem confirmant. neque enim nego ita eam legem postea vocatam esse. at verbum ipsum,

ipsum, quod in lege positum est, aio fuisse, *μη μνησικακείν*. cuius rei multos locupletes & idoneos auctores habeo, ut Xenophontem, cuius hæc sunt è secundo *ἐπιπέδων* Καὶ ὁμοσάντες ὅρκους ἢ μὴ μὴ μνησικακίῃσιν, ἐπὶ καὶ νῦν ὁμοῦ τὴ πολιτεύοντες, καὶ τοῖς ὅρκους ἐμμένει ὁ δῆμος. ut Æschinem, qui in oratione De corona ita loquitur: Νῦν δὲ κείνοι μὲν, μεγάλων χαλῶν συμβάντων, ἔπωσαν τὴ πόλιν, τὴ κἀλλιστον ἐκ παλαιῆς ῥῆμα φθεγγόμενοι, μὴ μνησικακίῃν. *Quin & Aristoph.* eodem respexit hoc versu:

Μὴ μνησικακίῃς εἰ σὺ φύλλω κατέλαβες.

Sed quid coniecturis, ut in re dubia, utimur? triplex iusiurandum fuit, quo se, compositis rebus, obstrinxerunt Athenienses: vnum commune totius ciuitatis, quod in hæc verba conceptum est: Οὐ μνησικακίῃσιν ἑστὶ πολιτῶν ἐδένει, πλὴν τῶν τεκνέωντα, καὶ τῶν ἐπιπέδων, ἐδὲ τῶν ὄσων ἐθέλοι ἐνθυμίας διδόναι τὴ ἀρχῆς ἢς ἦρξεν. alterum senatus: Οὐδέξομαι ἐνδείξιν, ἐδὲ ἀπαγωγῶν ἐνεκα τὴ πρῶτον γνησίμων, πλὴν τῶν φερόντων. tertium eorum qui res iudicabant: Οὐ μνησικακίῃσιν, ἐδὲ ἄλλο πείσομαι. *Ἰνφίρμαι δὲ καὶ τὰς κειμένους νόμους.* Hæc ita scripta sunt apud Andocidem in oratione De Mysteriis.

Ciceronis ex oratione pro Deiotaro loci duo emendati.

CAPVT XVI.

Solo libenter veteres libros, quicumque in manus meas incidunt euoluere: cuiusmodi tandè illi sint, & quocunq. litterarum caractere exarati. quod enim Plinius de toto librorum genere dicere solebat, nullum esse tam malum, ex quo non caperetur aliquid fructus: id ego in his maximè verum esse comperio, multos enim nanciscor mutilos, laceros, corruptos, euanescentibus litteris: tum, quod molestius est, descriptos ab hominibus imperitissimis, ideoque *ἐλακτα βρῖοντας,*

D 3

βρῖοντας,